

tio tentarunt, & ad tertiam negationem compulerunt. Causam attulerunt; nam & loquela tua manifestum te facit; scilicet te esse Galilæum, Jesu Galilæi discipulum; quia eo accentu, dialecto, ac proprietate verborum loqueris, quo loquuntur Galilæi; sicut in Italia alia dialecto loquuntur Romani, alia Neapolitani, alia Veneti, et si omnes loquantur italicè. Hanc autem dialectorum diversitatem nequit discernere Græcus, vel Germanus, vel Anglus, sed solus Italus, qui sit in itala lingua vel natus, vel educatus. Hujuscemodi tamen non erant Præsidis ministri, qui Gentiles erant; sed ministri Judæorum, qui & Judæi quoque habebantur.

Si ergo Judæorum ministri fuerunt, qui Christum in horto comprehenderunt, qui vincitum ad Pontifices duxerunt, qui colaphis, fustibus, & pedibus percusserunt, & apud Annam, & apud Caipham; dicendum est quoque eisdem fuisse, qui eum in Prætorio flagellarunt, & in Calvario crucifixerunt. Quum enim in Euangelio nulla aliorum ministrorum, quam Sacerdotum, mentio reperiat; consonum est profecto, ut, secundum genuinam Euangelii intelligentiam, ab iisdem dicatur Christus & in Prætorio percussus, & in Calvario mortuus.

*Uterius progreditur Dominicus Martyre in suo M. S., asserens, sacrum Magistratum, qui pro Religionis rebus adhuc in Judæa perseverabat, ad templi præcipue custodiam, etiam sub se milites habuisse. Quod ex eo colligi posse judicat, quod Judæis, a Pilato milites petentibus, ut Christi corpus in sepulcro custodirent, Pilatus respondit: *Habetis custodiam, ite, custodite, sicut scitis*; ut legitur Matth. 27. 65. Arabicus vertit apud Cornelium a Lapide in hoc loco: *Apud vos sunt custodes, ite, & claudite sepulcrum, sicut scitis.**